

## D O L O R.

220. Si fibra nervosa, cerebro orta, ita extenditur, vel alio modo disponitur, ut dissolutionem minuetur, fit Doloris idea.

221. Qui eo acrior, quo fibra rupturae propior: eo autem mitior, quo naturali est tensioni propior.

222. Unde Dolor summus in eadem parte brevis, mitior diuturnus esse, & intendi potest, & remitti.

223. Causa Doloris ergo omne id est, quod talem extensionem, vel dispositionem, (220.) facit.

224. Quo refertur 1. vis naturalis contractionis paucioribus fibris sustentata, dum quaedam solutae sunt (183.) 2. quod vas fibris nervosis contextum nimis replendo distendit; eo obstructio, plethora, cacochymia abundans, auctusque motus circularis, spectant. 3. quod vi distrahit, ut laxatio, tumor, vis externa. 4. omne vulnerans, & rodens.

225. Inde Doloris (220.) in vulnere (145.) causa multiplex (224.) cognoscitur.

226. Et effectus, inquires, jaectatio, vigilia, febris, calor, sitis, siccitas, convulsio, gangraena, intelliguntur.

227.

227. Tum Anodyni diversitas, pro varietate causae, scitur.

228. Doloris causa tollitur ergo 1. laxata distenta fibra. 2. resolutione concreti. 3. minuto motu & materia distendente. 4. ablata tractione inaequali, & violenta. 5. lenito acri. 6. discussio eodem. 7. educto eo, quod solvit fibras.

229. Doloris sensus tollitur, manente ejus causa (224.) 1. nervo inepto ad sensum reddito compressu, dissectione, vel exustione. 2. Sensorio communi obtuso per vim narcoticam: atque his tolluntur nonnulli effectus (226.) ex Doloris sensu oriundi.

### CONVULSIO, &c.

230. **V**iolenta, invita, & alterne repens, contractio musculi, Convulsio vocatur

231. Cujus causa id, quod liquidum nervosum vi alterna in musculos convulsos pellit.

232. Adeoque in ipso vulnere haerere potest, sive sit materies aliena irritans, sive ipsa nervi laesi (163. 164. 165. 183. 184.) conditio, sive evacuatio cruoris nimia praegressa.

233. Quin & effectus ejus, perturbatio omnium Actionum, cognoscitur.

234.